



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Iudicium de vtraque sententia. c. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

reolam, qui, vt refert Thom. de Argent. loco citato docuit, potuisse angelum habere actionem cum defectu, sed non actionem quæ imputaretur ad culpam, quæ duo secum non cohærent; vt refert ipse Thomas notauit. Hæc sententia hoc vni-
 10. co fundamētum nititur. Angelus in alijs omnibus instantibus, præter primum, potuit peccare: ergo & in primo: nam in primo instanti nihil habuit, quod in reliquis non haberet, & contra: ergo si in alijs expeditam habuit potentiam ad peccandum, expeditam etiam habuit in primo. Porro autem nihil habuisse in alijs instantibus, quod in primo non habuerit, vt posset peccare, in dictione constabit seq. cap.

CAPVT III.

Iudicium de vtraque sententia.

Quanquam autoritas Doctorum qui priorem sententiam sequuti sunt, magni apud omnes esse debet: fateor tamen ingenue, eorum rationes, quibus monstrare conantur, non potuisse angelum in primo instanti peccare, non esse adeo efficaces, vt aduersarios manifeste conuincant: quinimo aliquæ earum adeo friuolæ sunt, vt iamdiu ab Schola fuerint explosæ, sicut in hoc cap. sigillatim monstrabimus.

1. Ratio. Prima ratio, qua quidam visus est Alexander, est huiusmodi: in eodem instanti, in quo res est producta, non potest operari vlllo genere operationis, sed prius duratione debet esse terminata productio rei, quam sit operatio illius, eo quod duæ operationes, (quales sunt generatio rei, & operatio ipsius) quarum vna aliam consequitur, non possunt esse simul; ergo angeli creatio prius duratione debuit esse terminata ad esse ipsius angeli, quam angelus operaretur. Cumque peccatum consistat in operatione, vt in omissione debita operationis: consequitur angelum non potuisse in primo instanti peccare, cum in eo operari nequiuisset.

11. Hanc rationem merito rejicit S. Thom. quamuis cum Alexandro in conclusione conueniat, nam manifeste Philosophiz aduersatur. Quis enim negauit, in eodem instanti, quo creatum fuit corpus luminosum, ætrem illuminasse? Ratio vero Alexandri de operationibus, quarum vna aliam consequitur, solum locum habet in motibus successiuis, quorum vnus est causa alterius, vt motus secundum locum est causa calefactionis: at vero vna actio, quæ est in instanti, bene potest esse simul duratione cum alia actione, quæ ordine solum causæ ipsam consequatur: vt productio luminosi cum illuminatione, quæ à luminoso procedit. Ratio vero discriminis est: quia productio rei, quæ fit in instanti, est cum re ipsa producta: res autem producta, hoc ipso quod est, operari potest: at motus successiuus, ex quo tanquam ex causa oritur alius motus vt plurimum præcedere debet, quia in his motibus vt forma & terminus productus per vnum, sit causa alterius sequentis, debet ad certum gradum prius peruenire, ad quem in instanti pertingere non potest: ideoque necesse est, tempus aliquod intercedat, donec ex priori motu sequatur posterior. Dixi autem, vt plurimum, quia aliquando etiam simul est duplex motus successiuus, quorum vnus ex altero vt ex causa ortum habet: nam productio soni nascitur

ARTIC. V.

ex verberatione aëris, quæ fit per motum secundum locum: nullum autem tempus est verberationis, seu motus secundum locum, in quo non sit motus ad sonum, & contra.

Secunda ratio sit Hugonis, quam amplexus est Holcot locis allegatis in hunc modum: ad peccandum requiritur libertas; sed in primo instanti angelus non potuit habere libertatem in operando: ergo in primo instanti non potuit angelus peccare. Porro autem in primo instanti non potuisse esse libertatem, ex eo probant, quia libertas solum est respectu futuri, vt futurum est, nam circa præsens non potest esse, sicut etiam sentit Magister in 2. diffinit. 25. cap. 2. & ipse Hugo ante doctrinam suam ceterat lib. 1. de Sacramento parte 5. cap. 12. Quare sententia horum Doctorum, vt voluntas libere operetur, debet prius duratione esse, quam operetur, vt ita in priori duratione sit indifferens & liber ad futuram operationem.

Hæc tamen ratio falso nititur fundamēto, & a tota iam Schola refutatur, vt late ostenditur in disput. 68. cap. 7. nam, vt voluntas libera sit, licet prius sit, si prius natura ex se considerata indifferens sit, vt hoc, & alio modo operari possit: effectus tamen prius secundum durationem, nihil omnino refert: posset igitur Angelus in primo instanti suæ creationis libere operari: quia ex se voluntas eius indifferens est, vt hoc, aut contrariis modo operetur.

Tertia ratio Alberti Bonauent. & Henrici, quæ parum à præcedenti differt, talis est: ad rationem peccati requiritur libertas, hæc autem esse non potest in operatione, nisi præcedat deliberatio, rursum deliberatio sine tempore esse nequit: ergo Angelus in solo primo instanti suæ creationis peccare non potuit, sicut etiam neque deliberare. Addit Henricus, si fieri posset deliberatio instanti sufficiens ad libertatem, posset etiam angelus in instanti peccare. Idemque asserere debent, quotquot hac ratione adducti sunt, vt priorem opinionem tuerentur.

Hæc tamen ratio friuola est; nam quamvis nobis, qui per discursum tantum intelligimus, quæritur tempus, vt consulamus de medijs, facta collatione inter ipsa: tamen in angelis non videtur tempus necessarium etiam ad electionem mediorum, cum sine discursu intelligant, & multa inter se conferant, vt supra disput. 2. u. dictum est. Adde, quod peccatum non postulat necessarium consultationem, & electionem mediorum inter se; quia contingere potest peccatum in ipsa voluntate finis, vt in voluntate delectabilis & commodi, quod habet rationem finis, & appetibilis propter se, vt autem libere feratur voluntas in commodum, aut delectabile, solum requiritur propositio obiecti cum indifferentia: hæc autem in eo posita est, vt intellectus attendat non solum rationem delectabilis & commodi, quo allicitur voluntas, sed etiam rationem malitiæ & peccati, quod in prosecutione illius esse potest, vt 2. q. 74. art. 6. & 7. notabimus.

Quarta ratio Ricardi loco citato, & Capreoli in illo artic. 3. citato in solationibus argumentorum contra 4. conclusionem, & artic. 1. in probatione eiusdem 4. conclusionis, ita se habet: naturalis voluntas debet præcedere deliberationem: naturalis autem, peccati capax non est: ergo prima operatio non potuit in angelo esse peccatum: ratio

proinde nec in primo instanti, in quo prima operatio angeli debuit præcedere, potuit angelus peccare. Et hoc modo explicat Capreolus rationem S. Thomæ, quam infra referemus, qui ideo dixit in prima operatione non posse esse peccatum, quia prima tribuitur auctori nature, ad quem nullo modo peccatum referri potest. Explicat igitur Capreolus hoc modo; quia prima operatio debet esse naturalis, ac proinde ab inclinatione naturalis: cumque inclinatio sit ab auctore nature, operatio talis inclinationis ab eodem auctore debet esse.

15. Verum hæc ratio non plus habet momenti, quam præcedentes: Primum, quia naturalis operatio voluntatis non debet tempore præcedere liberam, sed utraque simul duratione esse potest, etiam si naturalis esset causa libera. Angelus enim simul tempore potest se ipsum diligere dilectione naturali & Deum dilectione libera, aut media alia ordinata ad suam perfectionem. Deinde operatio voluntatis in via non ideo dicitur naturalis, quia sit necessaria quoad exercitium, sed solum quoad specificationem: nullam enim obiectum est, præter Deum clare visum, quod creatum voluntatem necessario moueat quoad exercitium etiam in angelo, ut supra quaest. 60. art. 3. notauimus, ergo in voluntate naturali potuit esse libertas quoad exercitium, ac proinde in ea potuit esse peccatum & meritum. Hanc rationem Capreoli videtur probasse Caiet. & hoc etiam modo intellexisse mentem Doctoris sancti: inquit enim in hoc articulo priorem esse actionem voluntatis naturalem, & hæc non posse esse malam. Ceterum cum ipse plane concedat, in primo instanti angelum mereri potuisse, imo etiam meruisse per actum charitatis, ut capite sequenti videbimus, in eius sententia prædicta ratio nullam vim potest habere. At vero Capreolus consentaneè suis conclusionibus hæc ratione videtur vsus: cum plane defendat, angelum in primo instanti, nec peccare, nec mereri potuisse.

5. Ratio. Quinta ratio, quam memorat Durand. in quaestione citata n. 5. sic formari debet: nullus peccare potest, nisi apprehendat bonum apparens, circa quod solum potest esse peccatum: bonum autem apparens apprehendi nequit, nisi prius apprehenso vero bono; ergo prius debuit angelus circa bonum verum, quam circa bonum apparens operari.

16. Hanc tamen rationem minus sufficientem existimat Durandus, & merito sanè. Omisita vero Durandi consuetudine hoc modo facile refelli potest: quia necesse non est, prius apprehendi bonum honestum, quam delectabile, sed primum occurrere potest delectabile, & ex illo moneri affectus: quod si tale delectabile sit contra rationem, ut sapienter contingit, affectus quidem circa illud peccatum erit: hoc autem absque vilo prorsus errore fiet, ut ostendimus supra disp. præced. cap. 3. & probabimus 1. 2. quaest. 77. artic. ex eo solum quod delectabile efficacius proponitur, quam honestum oppositum, aut quam id, quod ab affectu circa delectabile, & commodum retrahere deberet.

6. Ratio. Sexta ratio, qua vititur ipse Durandus, est huiusmodi: aut Angelus creatur in gratia Dei, aut in pura natura. Si in gratia Dei, plane sequitur, non posse peccare: quia simul peccare, & in gra-

tia Dei esse nequit. Aut creatur in pura natura. & tunc vel cum sola cognitione naturali, vel cum: supernaturali. Si cum sola cognitione naturali sequitur, non posse peccare: quia Angelus circa legem omnino naturalem peccare nequit. Si cum: notitia supernaturali: efficitur etiam, peccare non posse: quia peccato circa legem supernaturalem peccare non potuit angelus, nisi ex inconsiderantia, ut supra ex eodem Durando retulimus disput. 230. Ceterum hæc ratio minus efficax est, quam præcedentes. Primum quidem quia, quamvis verum sit, cum gratia non posse esse peccatum, tamen si controuersia præsens solum est, an ex se angelus peccare possit. Deinde etiam si in pura natura relinquatur absque vlla cognitione supernaturali circa legem naturalem: rectè peccare potest, ut in eadem disput. contra Durandum & alios probatum est. Postremo, quia circa legem supernaturalem alio modo, quam per inconsiderantiam peccare potest: quinimo per solam inconsiderantiam non potest, ut disputat. 235. cap. 2. monstrabimus.

7. Ratio. Septima & postrema ratio. & omnium, quæ pro hac parte afferri solent, effi. acissima, est Sancti Tho. in hoc art. 5. qua probare contendit, angelum ita peccare non posse circa obiecta supernaturalia, sicut etiam circa naturalia, in hunc modum: Prima operatio voluntatis debet esse à Deo & ad eam nequit voluntas se determinare: ergo illa non potest esse peccatum: alioquin peccatum tribueretur Deo, qui voluntatem angeli ad talem operationem determinauit: aut saltem, si Deo non tribueretur, ut culpæ imputaretur (sicut dicunt hæretici nostri temporis, nostram voluntatem à Deo inclinari, & impelli ad peccatum: & tamen Deo culpam non imputari, quia culpæ capax non est) saltem efficitur, angelo culpam imputari non posse, si ipse in prima sua operatione à Deo determinatur ad opus peccati, sicut supra disputat. 99. c. 4. colligebamus, homini non posse culpam imputari in singulis operibus, si ipsi adeo ad opus peccati determinatur, & applicatur prius. Porro autem primam operationem voluntatis esse à Deo, & ad eam non se mouere creatam voluntatem, est doctrina Anselmi in libro de casu diaboli, cap. 12. ubi docet, angelum non potuisse se habere primam voluntatem: idemque de homine dicere debet. Fundamentum autem, quo vititur Anselmus, est, quia, ut quis dicatur mouere seipsum ad aliquam voluntatem, non sufficit elicere actum voluntatis, ad quem seipsum mouere dicendus est: sed opus est habere prius alium actum voluntatis, ex quo moueat se ad sequentem: quare inquit; Quod ergo nihil vult, nullo modo potest se mouere ad volendum. Et hinc colligit, primam voluntatem angeli esse à Deo. Id quod cap. 13. & 14. prosequitur.

Ego quidem fauor meæ Ingenij tarditatem, Difficilis quod vim huius rationis non plane allequar. Proponam igitur, quæ mihi circa illa difficultia sunt, hæc ratio. aliorumque iudicium in hac re libenter auscultabo. Primum quidem ego non satis intelligo, primum actum voluntatis esse à Deo alia magis peculiari ratione, quam quia prima cogitatio est à Deo determinante, ut late ostendam 1. 2. quaest. 97. artic. 3. & iam supra monstravi disput. 221. cap. 4. quia ad primam cogitationem non potest voluntas applicare intellectum. Id quod non solum verum est in

17.

Explicatur.

7. Ratio.

18.

est in

est in operatione voluntatis, quæ originē temporis fuit omnium prima, sed etiam in quacunque prima, quæ circa aliquod genus negotij, aut obiecti in angelo, aut in homine incipit: hoc tamen non videtur ob stare, quo minus angelus peccare possit consensu voluntatis in tale obiectum cogitarum, quemadmodum in prima voluntate circa nouum obiectum, quod primo se offert, peccare potest: nam talis obiecti propositio, etiam si fiat à Deo proponente, aut determinante intellectum, nihilominus liberam relinquit voluntatem, vt consentire posse, & non consentire: ergo poterat angelus propositio obiecto, quodd ex præcepto prosequendum erat, illud non potuit prosequi, ac proinde peccare. Potuit etiam à Deo determinari intellectus, vt proponeret voluntati simul eadem cogitatione obiectum, in cuius prosecutione esset peccatum, & in fuga, & displicentia illius esset meritum apud Deum, & voluntas primo actu posset prosequi illud obiectum, & peccare prosequendo, id quod refutare debebat. In neutro vero casu Deo tribueretur peccatum, etiam si ipse determinaret intellectum ad primam illam cogitationem, ex qua futurus erat consensus peccati, quia talis propositio & cogitatio, ad quam Deus determinauit intellectum, reliquit voluntatem liberā, vt sequeretur quam partem veller: quemadmodum diximus disputat. 95. cap. 10. Deum interdum offerre nobis occasiones, ex quibus videt futurum esse peccatum & tamen Deo non imputatur peccatum, nec ob id nos à culpa excusamur: quia talis cogitatio relinquit voluntatem liberā, vt ad quod velit, extendat manum.

Deinde quod asserit Anselm. ad primam operationem non posse voluntatem mouere ipsam, difficultate non caret: nam, vt voluntas dicatur se mouere ad volendum, non videtur necessaria alia voluntas, virtute cuius impellat se ipsam, vt Henricus contra Anselm. obseruauit. Id quod exemplum, quod sibi obijcit ipse Anselm. non obscure conuincit: nam & visus dicitur seipsum mouere ad videndum non virtute prioris alicuius visionis, sed in singulis operationibus, per hoc solum, quod operatio videndi est ab ipso et vtu vt à principio. Qua etiam ratione Scotus loco allegato docet, primam operationem non minus esse à voluntate seipsam mouente, quam reliquas: cum eodem modo à voluntate, vt ab efficiente, omnes procedant.

*Dicitur
Anselm.
difficile.*

Mitto alias rationes, quibus probari solet, angelum non potuisse in instanti primo peccare, qualis est illa, quia actio tam peccati, quam meriti debet in tempore incipere, & alie similes, quæ falsis principiis nituntur, eas habet Scotus loco allegato. Hanc vero de modo, quo incipere debet peccatum, & meritum optime diluit Gregor. in ea quaestione citata: quia cum operatio voluntatis tota simul esse queat, nulli dubium est, in instanti nostri temporis incipere posse. Adde etiam quod licet in temporis incipere posset, nonnulli auctores posterioris sententiæ dicerent, non posse talem operationem primam esse peccatum, quicumque nimirum defendunt, in prima operatione peccatum esse non posse.

ARTIC. V.

CAPVT IV.

In primo instanti sua creatione angelus mereri potuisse.

CVM Doctores, qui censent Angelos in primo instanti peccare non potuisse, in eam sententiam diuersis rationibus fuerint adducti, effectum est, vt de bono merito ipsorum, an saluaret in primo instanti vitam æternam mereri potuerint, non eodem modo sint inopinati. Quidam eorum affirmant, in primo instanti non potuisse angelum mereri. Sic expresse docuerunt Hugo de S. Victor, Alexander, Holcot, & Capreolus locis in 2. cap. allegatis, atque ex eorum ratione hoc necessario deducitur. Primum quidem ex ratione Hagonis & Holcot, qui existimant, in primo instanti non fuisse angelum liberum pro eodem, sed pro futuro tantum tempore. Deinde ratione Alexandri idem probatur: quia ex sententia ipsius nulla res operari potest in eodem instanti, in quo primo concipitur: quia putat primam Angeli operationem necessario debere esse naturalem, in qua meritum esse non potest ex sententia ipsius. Idem cogitentur facere, Albertus, Bonauentura, & Henricus, qui censent in primo instanti non potuisse esse libertatem: quia consultatio, & deliberatio esse non potuit. Denique Ricardus in eadem sententia esse deberet, licet id ipsum non asserat: quia cum Capreolo probauit, angelum in primo instanti peccare non potuisse: eo quoque prima operatio debuit esse naturalis, nullius peccati & meriti capax.

Multo tamen verior est opposita sententia, quæ affirmat, Angelos in primo instanti vitam æternam mereri potuisse. An vero eam promeriti fuerint, pendet ex ea controuersia, vtrum in gratia creati fuerint, an in pura natura, de qua supra disput. 22. fusè tractauimus. Quod vero attinet ad potentiam merendi, hanc sententiam amplius sunt omnes, quos cap. 2. pro posteriori opinione allegauimus. Ex his vero, qui priorem sententiam fur, eam similiter tradiderunt. Ferrarius, contra sententiam cap. 110. §. *Hic dicta sunt*, Caietan. & Durandus locis idem allegatis, etque expressa sententia S. Thomæ, vt recte obseruauit Ferrariensis. nam, vt infra ostendemus, plane docuit angelos non tantum potuisse mereri, sed etiam meruisse vitam æternam. Hæc autem opinio inde probatur, quia si aliquid ob stare, quo minus angeli in primo instanti posset mereri: essent rationes Hagonis, Alexandri, Bonauentura, aut Ricardi, quibus probare nitentur, angelos non potuisse in primo instanti peccare: si enim illis probaretur angelos non potuisse peccare, probaretur, etiam mereri non potuisse: quia vtriusque eadem omnino ratio esset, vt patet: atqui illis rationibus, nihil probari contra potentiam angelorum peccandi, satis superque cap. præcedenti à nobis monstratum est: ergo eadem omnino ratione ostensum manet, illis non obstantibus angelos vitam æternam mereri potuisse. Alie autem rationes excogitari nequeunt, quæ aliquo modo probent, non potuisse angelos mereri: ergo non est contra potentiam ad merendum in eo instanti angelos denegemus.

Porro in hac sententia S. Thom. recte probat Ferrariensis.